



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Præcipuæ objectiones solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

eminenter subsistentiam naturæ creatæ, quamvis increata sit, potest naturam creatam terminare & reddere subsistentem: Ergo quamvis existentia divina sit actus substantialis, quia tamen eminenter continet existentiam accidentis, potest cum accidente uniri, & illud existens constituere.

Dices, hoc inter subsistentiam & existentiam reperiri discrimen, quod subsistentia ex proprio conceptu est terminus, existentia verò est forma, & ultimus actus: licet autem nulla sit imperfectio in hoc quod formalitas divina terminet naturam creatam, bene tamen in hoc quod illam aduet aut informet; ideoque potest subsistentia divina immediatè uniri naturæ creatæ, secus autem divina existentia.

Sed contra primo: De facto existentia divina reddit humanitatem Christi existentem, ut disp. precedenti art. 2. pluribus ostensum est, & tamen non informat humanitatem; Ergo de conceptu existentia non est actuare informando id quod existens constituit, & consequenter existo capite non repugnat divinam existentiam alicui accidenti uniri, illudque existens reddere.

Secundo, quavis subsistentia sit actus, non tamè est actus physicè informans, sed terminans, subindèq; potest immediatè humanitati uniri, absq; physica informatione: Ergo similiter quamvis existentia sit ultimus actus, quia tamen ex proprio conceptu formalis, non est actus ultimus informans, sed actus ultimus terminans, divina existentia poterit absq; informatione naturæ creatæ immediatè uniri, & illam existentem reddere.

§. III.

Præcipua objectiones solvuntur.

Objicies primò contra primam conclusionem. Quod est capax modi essendi per se, potest assumi ad subsistentiam divinam: Sed omne accidens est capax modi essendi per se: Ergo potest assumi ad subsistentiam divinam. Minor patet, accidens enim divinitus separari potest à suo subiecto, & ex vi talis separationis acquirere modum essendi per se, sive modum independentiæ à suo subiecto tanquam à sustentante. Major verò probatur: Assumi ad subsistentiam divinam, est habere ab illa modum essendi per se: Ergo quod est capax modi essendi per se, assumi potest ad subsistentiam divinam.

Respondeo distinguendo Majorem: Quod est capax modi essendi per se, qui sit subsistentia, subindèq; qui denominet ipsum suppositum, assumi potest post divinam subsistentiam, concedo Majorem. Quod est capax modi essendi per se, qui non sit subsistentia, nec proinde constituat suppositum, sed solum sit similis analogicè subsistentiæ, transeat Minor, & nego Consequentiam. Dico transeat Minor, quia plures Theologi docent, idque fati probabiliter, accidens ex vi separationis à subiecto, non habere aliquem modum essendi per se, sed tantum privari modo inhzrentiæ, quod est esse per se subsistens negativè, non verò positivè. De quo in Tractatu de Eucharistia.

Objicies secundò contra secundam conclusionem: Existentia substantialis non potest communicari accidentali naturæ: Sed existentia divina naturæ substantialis est; Ergo nequit communicari accidenti, & consequenter non potest accidens immediatè divinæ existentia uniri, Major

probatur, sicut subsistentia supponit rem quæ per illam subsistit esse substantiam, ita existentia substantialis debet supponere illud cui suum effectum formalem tribuit, esse substantiam: Ergo accidens nequit existere existentia substantiali.

Respondeo distinguendo Majorem: Existentia substantialis eminenter & formaliter, concedo Majorem, Existentia substantialis formaliter, & accidentalis eminenter, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam: Nam existentia divina, quamvis sit substantialis formaliter, est tamen eminenter accidentalis, & ideo potest accidenti communicari: Sicut potest communicari naturæ substantiali creatæ, quia quamvis sit existentia increata formaliter, est tamen eminenter existentia creata, cum illam eminenter contineat. Divina autem subsistentia non est substantialis eminenter & formaliter, quia eminenter non continet subsistentiam aliquam creatam, per quam subsistere possit natura accidentalis, & ideo est ita propria substantialis naturæ, ut accidentali communicari non possit.

Respondeo secundò negando absolutè Majorem, ad cujus probationem, nego paritatem: Disparitas est, quia cum omnis subsistentia sit ex propria sua ratione ultimum complementum rei in ratione substantia, debet necessariò supponere rem illà cujus dicitur subsistentia esse substantiam: At verò existentia, etiam substantialis, cum ex proprio suo conceptu sit solum ultimum complementum in ratione entis, ratio substantialis vel accidentalis merè materialiter se habet ad ipsam; subindèq; ut accidens sit capax existentia divina, licet substantialis, non requiritur quod sit substantia, sed sufficit quod sit aliquid complebile in ratione entis.

Objicies tertio: Illud solum potest assumi ad existendum existentia divinà, quod potest constituere unum ens per se cum Deo, Deus enim non potest venire in compositionem entis per accidens: Sed accidens nequit constituere unum ens per se cum Deo: Ergo nec assumi ad ejus subsistentiam. Minor probatur: Quæ non sunt ejusdem generis, sed diversi, nequeunt uniri ad faciendum unum ens per se: At qui accidens & Deus sunt diversi generis; Ergo unum per se constituere nequeunt.

Respondeo negando Minorem, & distinguendo ejus probationem: Quæ sunt diversi generis nequeunt uniri inter se ad faciendum unum ens per se, si ambo afferant suas proprias existentias, concedo. Si unum illorum sit privatum suâ propria existentia, & trahatur ad existentiam alterius, sicut traheretur accidens ad existentiam Dei, ex suppositione quod assumeretur ad illam, negatur.

Objicies ultimo: Si accidens v. g. albedo, assumeretur à Deo ad existendum existentia increata, denominaret Deum ipsum album, sicut humanitas assumpta denominat Deum hominem: Sed hoc non debet admitti, esse enim album non potest tribui ab albedine, nisi subiecto cui inest, Deus autem nequit esse subiectum albedinis: Ergo implicat accidens assumi à Deo, ad existendum existentia divinà.

Respondeo negando sequelam, solum enim in casu objectionis, Deus diceretur habens albedinem, non tamen albus: Sicut in triduo Verbum quod remansit unitum animæ Christi, dici poterat habens animam, non tamen animatum; & ratio est quia illud solum dicitur album, vel

animatum, cui inhæret albedo, vel quod informatur ab anima: albedo autem nequit inhære Deo, nec Verbum ab anima informari.

Mitto plura alia argumenta quibus A dversarii probare contendunt, nullam entitatem creatam posse existere per existentiam realiter ab illa distinctam, tum quia hæc spectant ad Philosophiam, & à nostris Thomistis in Metaphysica clarè diluuntur, tum etiam quia facilè enervari ac infringi possunt exemplo humanitatis Christi, quam per divinam existentiam existere, disputatione præcedenti ostendimus, & docet frequentior, probabiliorque sententia. Unde præsentem difficultatem ad id solum restringimus, an scilicet accidenti, ex aliqua peculiari ratione, repugnet divinâ existentia existere, sicut ei repugnat, divinâ substantiâ terminari.

ARTICULUS IV.

Utrum natura creata, subsistens in propria persona, & propria personalitate retentâ, possit assumi ad subsistentiam divinam?

88. **D**ixi natura creata, quia extra dubium est, personalitatem ipsam assumi non posse ad subsistendum per divinam subsistentiam: Tum quia subsistentia est ultimus terminus in linea & ratione subsistendi: Termino autem ultimo, ulterior terminatio essentialiter repugnat. Tum etiam, quia non stat personalitatem assumi, & non assumi personam ad subsistendum: Implicat autem personam assumi ad subsistendum, cum persona sit rationalis naturæ individua substantia, id est incommunicabilis, quod de incommunicabilitate alteri ut supposito accipiendum esse constat; cum persona possit communicari naturæ, ut patet in persona Verbi, quæ de factò fuit communicata & unita humanitati.
89. **A**ddidit in titulo, *propria personalitate retentâ*, quia etiam extra controversiam, & omnino certum est, posse naturam conjunctam propria personalitati assumi, si per assumptionem ipsa personalitas expellatur seu destruat: Non enim major potest esse repugnantia, quod natura propria personalitate illi conjunctâ privetur, quam quod sine ulla producat, resultantia subsistentiæ propria, per alienam impeditâ.
90. **S**olum ergo difficultas est, utrum natura creata, manens in propria persona, assumi possit ad subsistentiam divinam, conservatâ propria personalitate; ita tamen ut hæc non assumatur, sed sola natura quæ illâ terminatur; eo modo quo si eadem humanitas quæ nunc assumpta est à Verbo, conservatâ hæc unione, assumeretur etiam à Patre; & sicut natura divina, cum per æternam generationem communicatur Filio, in illo terminatur propria Filii personalitate, non admittendo personalitatem Patris.
91. **A**ffirmativam partem docet Martinus Peres Tract. de Incarn. disp. 9. sect. 9. Hurtado in Metaph. disp. 11. sect. 7. & 3. part. disp. 44. num. 1. Bernaldus disp. 24. sect. 2. pro ea ex antiquis citantes Baconum disp. 5. quæst. 1. & Naclantum Theorem. 2. circa finem, illamque non improbabilem censet Suarez disp. 14. sect. 1. dicens, Authores ita sentientes vix posse ratione convinci. Cæterum, sententiam negativam (quod scilicet

A non possit, etiam de potentia absoluta, natura creata, retinendo propriam personalitatem, uniri personæ divinæ, nec per illius subsistentiam subsistere) docent communiter Theologi, non solum recentiores, sed etiam antiqui, quamvis in assignanda ratione hujus impossibilitatis non conveniant.

§. I.

Conclusio negativæ statuitur.

Dico igitur: natura creata, subsistens in propria persona, propria personalitate retentâ, non potest, etiam de absoluta potentia, uniri personæ divinæ, & per illius subsistentiam subsistere.

Hanc conclusionem aliqui probant ex definitione personæ, de cujus conceptu est quod sit alteri supposito incommunicabilis: Sed si natura creata, propria personalitate retentâ, assumatur à supposito divino, illi communicaretur: Ergo implicat ita assumi.

Hæc tamen ratio non urget, potest enim facile responderi, non esse de ratione personæ, quod natura ex qua componitur, non communicetur alteri supposito, vel personæ, sed solum quod persona ipsa ex natura & personalitate composita, non possit illi communicari; nam Personæ Patris æterni convenit definitio & ratio personæ, & tamen illius natura communicatur Filio: Persona etiam constituitur ex personalitate Verbi & humanitate assumpta, competit definitio personæ, & tamen natura humana, personalitate Filii retentâ, potest Patri communicari, & per ejus subsistentiam subsistere: Hæc ergo ratio solum videtur probare, quod persona creata non possit assumi à persona divinâ; non autem quod natura propria subsistentiâ subsistens illâque retentâ, non possit ab illa assumi, de quo solum est questio in præsentia. Unde

Suarez loco citato, alias refert rationes, præsertim ex Cajetano, & eas impugnat, ac tandem istam constituit, quæ maxime illi placet. Propria subsistentia naturæ creatæ est modus quidam intrinsecus per se existendi: Sed hic modus habet formalem & immediatam repugnantiam cum illo modo unionis quem habet natura assumpta in alio supposito, quia esse per se & in alio sunt modi ita repugnantes, ut unus intrinsecè includat negationem alterius: Ergo implicat naturam creatam subsistentem in propria persona, uniri personæ divinæ, & in illa subsistere.

Sed hæc ratio in multis deficit, primò quia duo supponit falsa, aut saltem incerta & dubia. Primum est, quod subsistentia naturæ creatæ sit modus illius; illud enim, licet sit probabile, non est tamen certum, nec à Theologis unanimiter recipitur; multi enim cum Cajetano existimant, personalitatem creatam non esse modum naturæ, sed entitatem realiter ab illa distinctam. Secundum est, naturam creatam non uniri personæ divinæ immediate, sed per aliquem nexum seu modum ab illis extremis distinctum; oppositum enim plures Theologi docent, nosque supra disp. 6. aliorum sententiam ut probabiliorè secuti sumus.

Secundò, ex eo quod personalitas propria sit modus naturæ quam terminat, sequitur tantum quod non possit terminare alienam naturam, sed solum propriam, quia modus rei non potest modificare nisi rem illam, cujus est modus proprius; non autem sequitur, quod natura terminata per